FRANCISCI FRIDERICI WÜRTZII, D.

DISPUTATIO JURIDICA

DE

BONIS CONJUGUM ET ILLATIS ET DURANTE MATRIMONIO ACQUISITIS,

Von der

Ehe-Leute Eingebrachten und in der Ehe gewonnenen und errungenen Gütern,

ARGENTORATI ANNO MDCLXXX. HABITA.



HALÆ & LIPSIÆ,
SUMPTIBUS IOHANNIS CHRISTOPHORI KREBSII.
Recusa 1724.



Σύνοψις.

PRæfatio. Addiſcenda, quæ in vita communi atque judicio forenſi uſum habent. Commendatio thematis.

I. Vox bona late ſumta omnia commoda & in commoda complectitur, ſtricte, quod deducto ære alieno ſupereſt.

II. Vox illata jure civili de quacunque ſimplici illatione accipitur, hoc loco, quæcunque res conjux ad conjugem in matrimonium attulit.

III. Matrimonium pro conjunctione animorum, corporum & familiarum accipitur.

IV. Acquæſtus denotat bona, durante matrimonio a viro & uxore acquiſita.

V. Illatorum cauſa efficiens eſt conjugalis conſenſus. Communio bonorum jure Juſtinianeo incognita, ſtatutis obtinet.

VI. In Hollandia omnium bonorum communio viget, qualis in Hiſpania, Marchia, Lubecæ, ac Argentorati vigeat?

VII. Ut communio procedat, matrimonium legitimum ac perfectum requiritur: legitimum concubinatum excludit, qui Argentorati non permiſſus.

VIII. Etiam clandeſtinæ nuptiæ excluduntur.

IX. Perfectum matrimonium quid? Sponſus & ſponſa conjugum nomine non veniunt. An ſponſa prægnans portionem ex defuncti ſponſi bonis capiat?

X. Dos proprium mulieris patrimonium. Matrimonium ſine dote eſſe poteſt, dos a muliere vel extraneo conſtituitur.

XI. Quid juris, ſi dos in feudalibus conſtituatur?

XII. Si dos ab extraneo conſtituitur, maritus reuocabiliter fit dominus. Augmenta dotis matrimonio finito uxoris commodo cedunt.

XIII. Si augmenta ſolius temporis vel naturæ beneficio contingunt, pertinent ad eum, cujus res eſt principalis. Exemplum in alluvione, ſylva, domo quoad pretium aucta. Si augmentum facto & induſtria hominis com-

competit, augmentum est proprietarii, sed æstimatio socio restituenda.

XIV. Maritus res inæstimatas jure civili alienare nequit, quod constitutionibus Argentor. mutatum.

XV. In rebus æstimato datis maritus plenissimum habet dominium, quæ differentia Argentorati non attenditur.

XVI. Paraphernalium dominium jure civili ad maritum non transit. An maritus ad paraphernalium restitutionem teneatur?

XVII. Inter illata quoque referuntur, quæ durante matrimonio quisquis proprio jure sibi acquirit, e. g. legata, fideicommissa, hæreditates.

XVIII. Quo referenda illa bona, quæ alteruter conjugum ex transactione super legato usufructu omnium bonorum cum proprietario inita, obtinuit? Diversæ Dd. sententiæ.

XIX. Donationes conjugi factæ utrum illatis an quæstui annumerandæ? Dona nuptialia inter novos conjuges dividenda. Statutum Argent. de his donis.

XX. Donationes inter conjuges durante matrimonio jure civili prohibitæ. Hanc prohibitionem tota fere Europa inter leges suas retulit. Statutum Argent. de his donis.

XXI. Limitationes de donationibus inter conjuges jure civili præcipuæ.

XXII. Dona ab extraneo durante matrimonio obvenientia simplicia illatis annumeranda.

XXIII. Non vero remuneratoria.

XXIV. Bona acquisita quæ? de iis in pactis dotalibus disponi solet.

XXV. An acquisita utrique conjugum communia, Dd. diversæ sententiæ.

XXVI. De acquæstu statutum Argentoratense.

XXVII. Acquæstus non intelligitur, nisi deducto ære alieno, ac pro rata inter conjuges dividitur juxta consuetudinem loci vel pacta dotalia.

XXIIX. Acquæstus intelligitur non tantum in illis, quæ pari labore, sed & in illis, quæ opera & studio solius mariti provenerunt.

XXIX. Illicito modo comparata ad acquæstum non referuntur.

XXX. Ad bona acquisita referuntur etiam pensiones, reditus, fructus ex emphyteusi.

XXXI. Res communi conjugum pecunia emta communis est, item res ex pecunia alterius comparata. Quid si domus a marito empta, pretiumque partim ex illatis partim ex acquæstu solutum?

XXXII. Si maritus in solo uxoris ædificium exstruxit, ædificium uxori

uxori cedit, idem obtinet circa meliorationes.

XXXIII. Res permutata cum alterius ex conjugibus re patrimoniali, communiter quæstus nomine non est censenda, aliud obtinet Argentorati.

XXXIV. Quod illustratur exemplo.

XXXV. Ædibus a marito sub fide emtis, mortua uxore & marito ad secunda vota transeunte, si is in secundo matrimonio solvit pretium, ad primi matrimonii acquæstus spectare videtur.

XXXVI. An decoctori conjugi prodigalitas imputanda respectu illatorum, an vero communi massæ?

XXXVII. Quid si alter conjugum ante matrimonium lege redimendi intra certum tempus prædium vendiderit, constanteque matrimonio redemerit, an communicandum uxori?

XXXVIII. Consuetudo reipublicæ Argent. qua conjux superstes quid præcipui habet, quod vocatur Liebthat. Conclusio.

PRÆFATIO.



Ptime sibi suisque studiis prospicere, qui sapientissimi Senecæ consilio, ea addiscunt juvenes, quæ postmodum, ipsis viris, usui maxime futura sunt, sive juxta Imperatorem Leonem *in pr. Novel. 46.* & JCtos, Celsum, *in l. 5. ff. de LL.* Ulpianum, *in l. 1. ff. de Suspect. Tut.* Paulum, *in l. 25. ff. de Liberat. legat.* qui ex omnibus juris partibus ea seligunt & tractant, quæ quotidiana sunt, quæque in vita communi atque judicio forensi usum habent præcipuum, omnium magistra experientia satis superque docet.

Quod cum in memoriam revocarem, exantlatis, haud ita pridem, in utroque jure, juxta Leges & Statuta Celeberrimæ Universitatis Argentoratensis examinibus, impetrataque simul ab Amplissimo facultatis Juridicæ Collegio, sine Præside disputandi licentia: Non incongruum existimavi, præsentem hanc, licet Juri Civili Rom. non per omnia cognitam; usu tamen forensi in Inclyta nostra Republica longe frequentissimam materiam, pro themate Disputationis Inauguralis eligere. Haud quidem ignorans materiam hanc & arduam & difficilem, minusque humeris meis parem esse; verum illa tantum hic prolaturus, quæ assequi potui: & si eventus conatui non responderit, facile veniam me impetraturum spero, cum & conatum in rebus arduis laude dignum esse censeam: quem ergo conatum, ut Deus T. O. M. benignissime adjuvet, devota mente precor.

I.

Disputaturus itaque *de Bonis in matrimonium illatis, eoque durante acquisitis*, circa initium statim, ne in Ulpiani monitum in *l. 1. pr. ff. de Just. & Jur.* impingere videar, omissaque vocum explicatione, fiam obscurior, nonnulla de his terminis præmittam. Et quidem 1. circa vocem, *Bonorum*, notandum

dum esse arbitror, quod licet eadem, in jure nostro, varias recipiat significationes, ut docet Magn. Dn. D. Rebhan Præceptor ac Patronus meus omni honore & amore prosequendus, *in Hodeget. Chart. 2. Clim. 3. p. m. 448.* quippe quæ late sumpta, omnia commoda simul & incommoda complectitur, *l. 208. ff. de Verb. Sign. l. 1. & 3. ff. de bon. possess. C. I. A. tit. de bon. poss. th. 2.* stricte tamen id tantum denotet, quod deducto ære alieno superest, *l. 39. §. 1. de Verb. sign.* Hunn. ad Treutl. *Vol. 1. Disp. 14. th. 11.* quæ ultima acceptio & hujus loci erit.

II.

2. Verbi *Illata*, hoc in significatu, nullam in Jur. Civ. Roman. mentionem reperi, nisi quod in *l. 9. §. 3. ff. de Jur. Dot.* hæ legantur formulæ, *in domum inferre, in domum illata*, ubi de quacumque simplici illatione Vlpianus verbum hoc intellectum vult, ut ex ultimis verbis legis animadvertere licet, dum disquirit, qua actione ad repetenda hæc illata agendum sit, depositi, an mandati, an alia? Hoc loco *illata* accipimus pro rebus illis, quascumque conjux ad conjugem in matrimonium attulit, vel postea sibi, proprio jure, acquisivit; quales sunt: bona dotalia, vel paraphernalia, successione, donatione, aliisque similibus dominium transferendi causis & modis adquisita, de quibus singulis suo loco.

III.

3. Terminum *Matrimonium*, quod spectat differentiam, quæ inter vocem hanc & nuptias & conjugium intercedit, fusius edocent cum laudatus Dn. D. Rebhan in *dict. Hodeg. Chart. 2. Clim. 1. p. m. 113.* tum Wesemb. *in Paratitl. de Rit. Nupt. §. 1. C. I. A. lib. 23. tit. 2. th. 25. n. 2.* In nostra Disputatione accipitur, non pro nuda festivitate ac solemnitate nuptiarum, ut in *l. 24. C. de Nupt. l. 1.*

ff. de

ff. de pact. dotal. l. 66. §. 1. de Donat. inter Vir. & Uxor. sed pro conjunctione, & animorum, & corporum, & familiarum, ut *in §. 1. Inst. de Patr. potest.* & passim in jure *C. I. A. lib. 23. tit. 2. th. 2.*

IV.

4. Restat vox, *Acquirere*, cujus hic nobis non est latissima illa significatio, quæ Tit. de Adquir. Rer. Domin: quam monstrat *C. I. A. lib. 41. tit. 1. th. 2. n. 1.* Hic enim vox *Acquestus*, ea denotat bona, quæ durante matrimonio a viro & uxore alterutrius opera & diligentia acquiruntur.

V.

Et quidem de Illatis bonis omnium primum: Cujus bonorum conjugalium illationis, & per consequens communionis inde inter conjuges exortæ, causam efficientem, non immerito ipsum conjugalem consensum, saltem tacitum, reque ipsa & facto declaratum, statuimus. Non ita tamen, ut cum Nicolao Boerio *ad Consuetud. Bituricenses, tit. de Consuet. Matrim.* §. 2. matrimonium ex Jur. Civ. dispositione per se ac sua natura ejusmodi factum denotare dicamus, quod animum ac intentionem hujus illationis involvat, ita ut matrimonium contrahens statim bona inferre ad communicationem credatur. Nam licet Dionys. Halicarnas. *lib. 2.* & Plutarch. *in præcept. Connub. cap. 20.* ex antiquissima Romuli sanctione tradant, communionem inter conjuges, non tantum quoad jura divina & humana, sed etiam quoad ipsa bona fuisse introductam, referente Rittershus. *in comment. LL. 12. tab. part. 1. cap. 6.* tamen ex eo communio hæc bonorum evinci nequit. Recentiores quippe JCti, Jure Justinianeo, quo hodie communiter utimur, nullam bonorum communionem agnoscunt,

ſcunt, præter promiſcuum rerum uſum. Covarruvias *de Matrim. tom. 1. part 2. cap. 7. §. 1. n. 5.* Garſ. *de Acquæstu conjugali n. 31.* Chaſſanæus *ad Conſuetud. Burgundiæ rubr. 4. §. 2.* Beſoldus *ad jus Provinc. Wirtemberg. part. 4. th. 31.* Ut itaque ſaltem locorum ſtatutis ac conſuetudinibus matrimonium ita informatum videamus, ut illam qualitatem includat; ſcilicet, quod contracto matrimonio ſtatim bona communicentur.

VI.

Atque nec unius eiuſdemque generis, hæc communio ubivis gentium reperitur; alibi namque ampliari, alibi reſtringi eandem deprehendere licet. Etenim in Hollandia omnium bonorum communionem vigere, teſtatur Rotenburg. *de Iure Conjugum tit. 2. cap. 5. n. 12.* & de Selandia, Everhardus *Conſ. 135. n. 26.* etiam Leges Regni Luſitaniæ eandem probare tradit. Lambert. Goris *in Anniverſ. Iurid. tract. 1. cap. 1. n. 24.* Aliis in locis in commune quidem conferuntur omnia bona, ſed vere ea tantum communicantur, quæ ex quæſtu veniunt; qualem communionem in Hiſpania vigere, docet Suarez *de Lucro marit. & uxor. tit. 1. n. 28.* Lopez *de Lucro marit. & uxor. c. 5. n. 4.* Garſ. *de Acquæst. conj. n. 11.* & in Marchia Brandenburgica, annotat Pruckman. *Conſil. 44. n. 18.* Apud Lubecenſes eandem moribus receptam eſſe, refert Mevius *ad Ius Lubecenſ. part. 2. tit. 2. art. 12. num. 29. & ſeqq.* quam ipſam quoque approbat Jus Provinciale Wirtembergicum *part. 4. tit. 4. & 5.* Jus Provinciale Marchiæ Badenſis *part. 6. tit. 5.* Eandem quoque receperunt pleræque civitates tractus Rhenani. *Roſenthal. de Feud. cap. 5. concluſ. 69. n. 4. & ſeqq.* Et inter illas etiam Illuſtris hæc Argentinenſium Reſpublica; ubi matrimonio rite celebrato bona ſic inferuntur, ut ac-

quæstus communis reddatur. Conjuge enim alterutro mortuo, superstes primum illata adhuc in natura existentia recipit, dein ex acquæstu communi, maritus, vel ejus hæredes duas, uxor vero, vel eius hæredes, „unam tantum tertiam sibi attribuunt. Vid. der Stadt „Straßburg geschriebene kleine Raths-Ordnung. Rubr. „Was den Kindern zugehöret nach ihrer Mutter Todt. item „Art. Was der Mann nach der Frauen Todt zum Voraus „nehmen soll. Constit. von Fallimenten Class. 1. §. 3. Class. „2. §. 26. Class. 3. Rubr. von stillschweigenden Unterpfanden §. 2. Cum autem sæpe post multos annos ignoretur, quid a conjuge illatum sit, & per consequens restituendum; ad sopiendas hinc nasci turas controversias, salubriter in inclyta nostra Republica cautum est, daß, da zwo verlobte Personen, sie seyen ledig oder Wittwenstands, ihre zubringende Nahrung unverändert vorbehalten, solle ein jeder künfftige Irrungen und Procefs zu verhüten, das ihrige vorhero, oder doch längst in Monatsfrist, nach gehaltener Hochzeit, absonderlich, und in beysein gehöriger Personen ordentlich inventiren und beschreiben lassen, oder in verbleibung dessen gewärtig seyn, daß der, wegen des veränderten vorbehalt, im Urthel sprechen nicht attendirt, sondern sie ihres Privilegii prælationis privirt werden. St. Straßburg Visitations-Decret. de Anno 1665. §. 28. Aliis in locis, præter quæstus communionem, etiam mobilium bonorum, tempore initi matrimonii illatorum, communio est introducta. Utpote inter nobiles in Burgundia, referente Chassanæo *ad Consuet. Burg. rubr. 4. §. 2. in pr.* inque universa Gallia idem obtinere, præter Chassan. alleg. loco Molinæus *ad Consuet. Parisiens. §. 40.* testatur.

VII.

Dictum supra, quod, ut procedat communio, requiratur

ratur matrimonium; atque hoc legitimum ac perfectum ut sit. Legitimum dico, quo ipso primo removetur concubinatus, si quis scilicet concubinam per annos complures aluerit, eamque postea in uxorem duxerit, inter tales conjunctos, nulla ante contractum matrimonium est bonorum quæsitorum communio. Garf. de *Acquæst. conj. n. 164.* cum talis cohabitatio moribus nostris, non aliter ac illicita habeatur: sicque Curiam Frisiæ judicasse, testatur Johan. a Sande *tit. 5. lib. 2. def. 2. Decis. Frisicarum.* Unde etiam in nostra Republica nequaquam concubinatus permissus est, arbitraria in reos pœna constituta. Constitutio de pœna adulterii in appendice Ordinationis nostræ Politicæ de Anno 1628. artic. 4. sub rubr. zur Ohnehe sitzen. §. 1. quem integrum hic apponimus. Wir verordnen, setzen und wollen, daß niemands unserer Burger, Inwohner oder Hindersassen, Geistlich oder Weltlich, in unserer Stadt Straßburg, und dero Burgbann zur Ohnehe sitze, sonderen so jemands befunden wird, der oder die, sollen in Hafft eingezogen, und nach eines Raths Erkäntnüß gestrafft werden. Fuisse quidem olim in patria nostra non plane illicitum concubinatum, conjicere licet ex antiqua constitutione, quæ anno Christi 1437. & ita ante ducentos quadraginta tres annos lata, ac in Ecclesia Cathedrali pro concione recitari, ut commodius innotesceret, jussa est, ut habetur in MSC. statutorum Argentinensium, sub rubr. von denen die zur Unehe sitzen. In hac jubentur omnes, qui tum concubinas aluerunt, aut ducere illas, si alias conjuges non habuerint, aut se ab illis separare, bonis, quæ ad se invicem attulerunt, aut durante illa conjunctione compararunt, certa lege dividendis, sumptusque ad liberorum, si forte inde nati sint, alimenta erogandi, duas tertias viro, reliquam tertiam muliere præbente, ut dicta

Const. prolixius continetur. item Const. von denen die zur Unehe sitzen de Anno 1525.

VIII.

Excluduntur pariter, qui clandestinas contrahunt nuptias, *arg. l. 4. C. de incest. nupt.* quod occulta illa conjunctio legitimi conjugii censuram non sustineat, *cap. 3. extr. de clandest. desponsat. can. aliter caus. 30. quæst. 5.* Ex tenore namque juris canonici, quod mores nostri in hoc puncto sequuntur, vid. Carpzov. *in Iurispr. Consistor. lib. 2. Def. 142.* sine sacerdotali benedictione nuptiæ non creduntur justæ. Hahn. *ad Wesemb. de Ritu Nupt.* Mevius *ad jus Lubecens. part. 12. tit. 2. art. 2. n. 225.*

IX.

Requiritur itidem perfectum matrimonium: Nam nec sponsalia de præsenti huic bonorum societati constituendæ sufficiunt. Vid. Lopez *de lucro marit. & uxor. cap. 6. n. 6.* Garl. *de Acquæst. conj. n. 52.* quanquam non sim nescius, Chassanæum *ad Consuet. Burg. rubr. 4. §. 2. in verbis Femme. n. 18. & 19.* idem de sponsalibus asserere, eique accedere *Gail. lib. 2. Obs. 80.* aliosque plures, qui eadem, quæ de conjugibus circa illationem bonorum, eorumque communionem lata sunt, ad sponsum & sponsam de præsenti referre non dubitant; et nos certe eidem sententiæ faciles nos præbemus, cum statuto aut consuetudine loci alicujus hoc expressum reperitur. Sicubi autem obscuriores consuetudines inveniuntur, aut nihil prorsus in hanc rem disponentes, ibi verius omnino dixerim, quæ de marito & uxore lata sunt, ad sponsum & sponsam non extendenda esse. Certum enim est, sponsum & sponsam conjugum nomine proprie non venire, sive jus ipsum, quod eas voces distinguit, sive proprietatem

tatem

tatem vocabuli, quæ in statutis maxime consideranda est, attendatur. Mevius *ad Jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. n. 262.* *Addatur* Hahn. *ad Wesemb. de Sponsal. n. 6.* Et hæc regulariter obtinent; sed DD. varie hoc limitant, & præcipue in eo casu, cum per defunctum steterit, quo minus decente modo matrimonium fuerit consummatum, vid. Mevius *ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. n. 272.* Hinc dubitatur, siquis sponsam ante benedictionem sacerdotalem carnaliter cognoverit, deinde ante nuptias solennes moriatur, eadem gravida relicta, interea autem temporis plurimum acquisiverit? An sponsa illa prægnans eam portionem ex defuncti sponsi bonis capiat, quam honeste consummato matrimonio acceptura fuisset? Negativam autem prævalere, testatur Mevius ad *jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. n. 283.* Zoës. *in Comment. tit. de Sponsal. n. 4.* nec citra rationem, quippe quod talis concubitus illicitus & punibilis potius pœna coercendus sit, quam ut inde lucrum cuipiam sit indulgendum. Mevius *alleg. loco n. 284.*

X.

Affert autem conjux ad conjugem dotem, quæ proprium mulieris patrimonium, *l. 3. §. 5. ff. de Minor. l. 16. ff. de Religios. l. 4. ff. de Collat.* & ad sustinenda matrimonii onera marito data, *l. 7. l. 76. ff. de Jur. Dot. l. 65. §. ult. ff. pro socio,* ex quo tamen inferre non licet, quod dote non constituta, matrimonii onera ferre non teneatur maritus, Gail. 2. *Obs. 87.* matrimonium enim sine dote, *l. 11. in pr. C. de repud. Nov. 74. c. 4. in pr.* sed non æque dos sine matrimonio esse potest, *§. pen. Inst. de Nupt. l. 3. ff. de Jur. Dot. l fin. in pr. vers. sicut enim C. de Donat. ant. nupt.* Wesemb. *de Jur. Dot. in pr.* Constituitur autem dos vel ab ipsa muliere vel ab extraneo. Ab ipsa muliere, *l. 1.*

C. de dot. promiss. l. 7. in fin. ff. de Jur. Dot. l. 56. ff. eod. l. 4. l. 18. l. 28. C. de Jur. Dot. & in quacumque re ad mulierem pertinente; ita ut etiam feudum, si quod habet, marito in dotem dare possit, Mynf. *Obs. Cameral. obs. 86. Cent. 4. num. 4.*

XI.

Atque hæc quidem in allodialibus, quæ in dotem dantur, obtinent. Quod feudalia attinet, feuda vel sunt ante matrimonium acquisita, vel constante eo. Feuda ante acquisita inter præcipua referri debere, nulla ratione satis idonea negari potest. Feuda, quæ constante matrimonio adquiruntur, vel considerantur ut aperta dominio directo, vel ut collata vasallo. Quoad feuda domino directo aperta, Molinæus *ad Consuet. Parisiens. §. 43. gloss. 1. n. 168.* distinguit, utrum culpa vasalli aperiantur, an ex causa antiqua, si culpa vasalli, ingratitudine puta, ad dominum directum revertantur, ad acquæstus refert. Proprium enim vasalli patrimonium, & de se perpetua esse ait, nec sola potestate feudali recuperari, sed mediante causa de novo superveniente, scil. ingratitudine, sive ex causa antiqua, ut quod ad certam generationem concessa fuerant, tunc illatis annumeranda esse. Mihi feuda aperta domino directo ad illata referenda esse, verius videtur per ea, quæ habet Rosenthal *de Feud. cap. 5. conclus. 67. n. 1. & seqq.* Quod feuda vasallo collata spectat, Chassanæus quidem *ad Cons. Burg. rubr. 4. §. 2. in verb. & adquæst.* feuda quidem feminina ad bona acquisita referre videtur. Verum hoc penitius examinanti, non adeo magni momenti hæc videbitur esse inter feuda masculina & feminina distinctio. Obstat præterea natura feudorum, qua alienatio illa, quæ dominium transferret in alium, Schnobel *Diss. feud. 9. th. 2.* vasallo sine con-

sensu

fensu domini, exceptis casibus jure probatis, *2. Feud. 9. 14. 38. & 2. Feud. 26.* Ludvvel. *synops. feud. cap. 16.* prorsus est adempta, & per consequens ejus divisio, ne domini conditio deterior reddatur, ipsique invito vasallus, quem nollet, obtrudatur, *2. Feud. 12.* Ludvvel. *synops. Feud. cap. 16.* Unde verius est, feuda durante conjugio collata, sine distinctione masculini & feminini, semper pro illatis habenda, integraque inferenti restituenda esse. Sandæus *in Comment. ad Cons. Feud. Geldriæ tr. 2. tit. 2. cap. 3. n. 7.* qui tamen addit, *n. 10.* quod quidam ad feudorum corpora hoc restringant, pretium vero aut æstimationem horum corporum dividi velint.

XII.

Ab extraneo, *l. 22. ff. Sol. matr. l. 33. ff. de Iur. Dot. C. 1. A. lib. 23. tit. 2. th. 4.* Eckolt. *Compend. Pandect. tract. tit. de Iur. Dot. th. 4.* Sed rerum in dotem concessarum maritus legum authoritate & subtilitate dominus fit, *pr. inst. quib. alien. licet vel non l. 7. §. ult. ff. de Iur. Dot. l. 23. C. eod. l. 13. §. 2. ff. de Fund. Dotal.* tam ratione utilitatis (fructus enim jure civili lucratur solus, & arbitrio suo uti frui potest, *l. 7. ff. de Iur. Dot. l. 20. C. eod.* quanquam hodie, cum societas bonorum inter conjuges agnoscatur, inter eos secundum cuiusque loci statuta dividendi sint Lopez *de lucro marit. & uxor. cap. 6. n. 11.*) quam quoad effectum vindicandi, *l. 9. C. de Rei Vind. l. 24. ff. de Act. rer. amot. l. 75. ff. de Iur. Dot.* Struv. *Syntagm. Iur. Civ. Exercit. 30. th. 11.* Revocabiliter tamen dominus fit, ita ut mulier jure naturali domina maneat, Eckolt. *ad. d. tit. de Iur. Dot. th. 7. n. 3.* Unde fit, ut commoda, quæ non ut fructus ex re proveniunt, sed jure dominii accedunt, ut augmenta & accessiones, finito matrimonio, uxoris commodo cedant.

XIII.

XIII.

Augmenta autem vel accessiones has quod attinet, quæ in rebus cujusque conjugis propriis durante matrimonio fiunt, tribuenda illa vel tempori soli, vel naturæ aut fortunæ, vel facto & operæ possessoris rei. Garf. *de Expensis & Meliorat, cap. 22.* Si augmenta vel accessiones contingant solius temporis vel naturæ beneficio, pertinent illa ad eum, cuius res est principalis. Garf. *dict. tract. cap.22. n.15.* Quodcumque enim sponte & naturæ beneficio rebus accedit, rem omnino sequitur, cumque ea unitur; & quod de re ipsa, etiam de ejusmodi incremento sentiendum est. Covarruv. *de Matrim. cap.7. §. 1. n. 11.* Nam augmentum, quod per modum unionis accedit, eandem rem constituit, naturam & conditionem rei, cui unitur, suscipit, atque sicut eadem res judicatur. Molinæus *ad Consuetud. Paris. Tit. 1. §. 1. gloss. 1. n. 63.* Hinc alluvionis commodum illius est, cujus est fundus, alluvione auctus; item si alterutra conjugum pars sylvam haberet, quæ constante matrimonio suapte natura fructuosior fuerit facta, augmentum illud in totum domino rei acquiritur, nec ejus nomine quicquam socio præstandum est. Garf. *de Expens. & Meliorat. cap.22. n. 15.* Vel si domus illata tempore illationis 100. flor. valens, durante autem matrimonio domorum pretium augeatur, & 500. valeat; soluto matrimonio hoc augmentum temporis beneficio proveniens inferentis erit. Lopez *de lucro marit. & uxor. cap. 6. n. 14.* Heeser *in Locis Communibus pract. part. 2. Loc. 18. n. 228.* Procedunt autem prædicta, cum expensæ in hanc rem factæ non sunt, si enim maritus de bonis communibus in res proprias impenderit, id uxori pro parte reddi debet. Si vero facto & industria hominis augmentum competit, Ex. gr. ædes accuratius exstru-

exstructæ aut pretiosiores factæ, augmentum quidem erit proprietarii (accessorium namque suo principali cedit ac cohæret) sed socio æstimatio augmenti est restituenda. Garf. *de Acquæst. conj. n. 37. idem de Exp. & Meliorat. cap. 13. n. 41.*

XIV.

At hæc saltem de inæstimatis DD. intelligi volunt, Dn. D. Mejer *in C. I. A. lib. 23. tit. 2. th. 9.* Struv. *Syntagm. I. C. de Jur. Dot.* quas maritus jure civili nec alienare, ne quidem consentiente muliere, potest, *l. 1. §. 15. C. de Rei uxor. act.* Wesemb. *in Paratitl. de fund. dot. n. 7.* Quod tamen Constitutionibus Inclytæ nostræ Reipublicæ mutatum, ubi marito quidem permittitur mulieris bona oppignorare, observatis sequentibus requisitis, „Daß 1.„ das Weib zu der Schuldverschreibung gezogen werde, und 2.„ ihr der Inhalt der Verschreibung deutlich vorgelesen, und 3.„ ob sie damit zu frieden, vernommen werde; Auch daß zwey„ ihrer nächster Verwandten, oder in Mangel derer zwey Her-„ ren des Raths, dabey seyen, und endlich daß sie in Abwesen-„ heit ihres Mannes, und in Gegenwart beyder Beyständе, des„ Beneficii SCti Vellejani & Auth. si qua mulier C. ad„ SC. Vellejanum zugenügen unterrichtet, und ob sie sich des-„ selbigen gutwillig begeben wolle, befragt werde.„ *Constitutio* vom ungeerbten ausgehen *de Anno 1552. renovata quoad hunc articulum Anno 1699.*

XV.

Aliter in rebus æstimato datis observatur, nam maritus in his plenissimum habens dominium de jure civili, omnem lucratur accessionem, *l. 10. C. de Jur. Dot.* datis namque rebus æstimatis, vera inter dantem & accipientem emptio venditio contrahitur, *d. l. 10.* Molina *de Just. & Jur. Disp. 416. n. 7.* In dubio autem æstimatio venditionis,

C

ditionis, non taxationis gratia adjecta videtur, *l.16. ff. de Jur. Dot. l.10. §.4. eod.* Gothofr. *ad l.69. §.7. de jur. dot. n.33. C.I.A. de jur. Dot. th. 8.* Verum nec in Inclyta nostra Republica, hæc differentia inter æstimatas & inæstimatas attendi videtur, omnes namque res æstimatæ dantur, & ob hoc: Wird den Käuffleren befohlen zu den Sa-" chen den rechten Anschlag und Werth zu setzen, damit man wis-" sen möge, was und wie viel deßwegen nachmalen zu ergäntzen" seye, Stadt Straßburg *Visitations-Decret* §. 29.

XVI.

Præter dotem sæpe mulier alia bona possidet, quorum dominium jure civili ad maritum non transit, (nisi omnia bona in dotem dederit, hoc enim licet, *per l.72. ff. de Jur. dot. l.4. C. eod.* præsentia quidem, non æque futura, Treutler. *Vol.2. Disp.7. th.4. lit. e.* licet Gothofred. *ad l.4. C. de Jur. Dot. authoritate Baldi dissentiat,*) sed quandam ille in his cum consensu mulieris administrationem exercet, *l.8. l. ult. C. de pact. convent.* in quo *DD.* concordant. Sed quod fructus rerum paraphernalium attinet; an maritus ad eorum restitutionem teneatur, annon? non eadem est JConsultorum sententia: si ex Jur. Civ. decisio quæratur, placet distinctio Menochii *de Præsumpt. lib.3. Cap.9.* Cujus hæc est summa, aut fructus nondum sunt consumpti; tum utitur uxor jure suo *l.4. l.49. §.1. ff. de Rei Vind.* recteque fructus petit, aut ad hæredes transfert, *l.33. §.1. de Donat. inter vir. & uxor.* aut a marito sunt consumpti, & non constat, an voluntate uxoris perceperit, tum in dubio ad restitutionem teneri maritum juri civili congruum esse ait Alciat. *resp. 254. n.3.* Cravetta *Consil. 193. in fin.* Mevius *ad jus Lubec. part. 2. art. 12. n. 153.* sed si voluntate uxoris percepit, communior opinio est, nulli repetitioni locum esse. Bartol *in l. penult.*

n.3.

n. 3. ad L. Falcid. Wesemb. *Consil. 108. n. 28.* eo ipso autem dum marito administrationem committit, perceptionem quoque fructuum concedere videtur; id quod textus a contrario sensu innuunt *in l. 8. C. de pact. convent. l. ult. C. eod. Disp. inaugur. de bonis paraphernal. habita Argentinæ An. 1669. th. 16.* Moribus & statutis locorum hinc multum recessum est; in Hispania namque fructus bonorum paraphernalium sine discrimine maritum lucrari, docet Suarez. *de bon. const. matr. acquisit. n. 63.* Covarr. *de Matrim. part. 2. cap. 7. §. 1. n. 2.* Statuta Inclytæ nostræ Reipublicæ deviant hic itidem a jure civili. Volunt enim maritum, fructum omnium rerum ab uxore in domum mariti illatarum, sine discrimine, dotalia sint, an paraphernalia, percipere; Mortua namque uxore jubent saltem illata (ihr zugebracht Gut) restitui, modo hæc illata in specie adhuc adsint, nulla mentione fructuum restituendorum facta, quod similiter fere observat jus Lubecense, Mevius *ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. n. 158.* De receptitiis nulla quæstione opus est; quippe quæ separatim ab uxoribus haberi solent. Menoch. de Præsumption. *lib. 3. cap. 9. n. 2.*

XVII.

Præter modo recensita inter illata quoque referuntur, quæ durante matrimonio quisquis proprio jure sibi acquirit; e. g. legata, fideicommissa, maxime hæreditates, nullo discrimine habito ex legitima testamentariave successione alicui obveniant, Lopez *de lucr. marit. & uxor. cap. 9. n. 63.* Suarez *de lucr. marit. & uxor. tit. 1. num. 64.* Besold. *ad jus Provinc. Wirtemb. part. 4. th. 17.* una enim omnium hic militat ratio, nempe, quod quæ non ex conjugum ipsorum industria, vel statuti dispositione; sed vel ex testantis cujuspiam benevolentia, vel aliunde al-

terutri deferuntur, ita ut nullo jure ad communionem matrimonialem ſpectent, etiam huic ſoli acquirantur, conſequenter non acquæſtui ſed illatis annumerentur; & huic ſententiæ tanquam veriori, præter ſupra allegatos adſtipulatur Mevius *ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. n. 59.* proque hac ſententia judicaſſe curiam Mechlinenſem teſtis eſt Criſtin. *Vol. 2. Deciſ. 58. n. 2. in fin. & Vol. 1. dec. 206. n. 7.* Licet nonnulli circa hæreditates legitimas & teſtamentarias hoc diſcrimen faciant, ut, quæ ex legitima ſucceſſione proveniunt, veluti parentum, pro illatis habendæ. Boetius *ad Conſuet. Bituricenſ. tit. de conſ. matrim.* §. 2. Illæ vero, quæ per ultimam voluntatem deferuntur, acquæſtui annumerandæ ſint. Jacob Scultes *quæſt. pract.* 14. *n. 19. & 27.* Chaſſanæus *ad Conſuet. Burgund. rubr.* 4. §. 2. idemque conſuetudinibus Aurelianenſibus obtinere, teſtatur Pyrrhus *ad dict. conſuet. tit. de Societ. inter vir. & uxor. cap. 11.* Sed niſi conſuetudo loci repugnet, verior eorum ſententia videtur, qui quaſcunque hæreditates, a quocumque alteri conjugum obvenientes, inter illata referunt: quod æque hic Argentinæ obtinet; addita tamen limitatione, niſi legatum vel hæreditas, exempl. grat. marito deferatur ob officia ſtante matrimonio defuncto teſtatori præſtita, aliave merita; ob quæ alias de jure remuneratio peti poſſet; tunc enim iſtam hæreditatem vel legata, potius acquæſtui accenſent, ſic tamen, ut ſi debitam remunerationem ſuperent, ſuperfluum illatis accenſeatur.

XVIII.

Sed quo referenda illa bona, quæ alteruter conjugum ex transactione ſuper legato uſufructu omnium bonorum, cum proprietario inita obtinuit: Caſus talis? Cajus Cajam uxorem ducit, moritur hæc, ſed improlis, ideoque hæredibus inſtitutis cognatis collateralibus, marito

rito legat usumfructum omnium bonorum, qui eidem ab hæredibus legitime constituitur. Usufructuarius transit ad secunda vota, liberisque ex hac conjuge prognatis, transegit cum proprietariis, super usufructu sibi a priore conjuge relicto; ita ut ipse usufructuarius partem e.g. dimidiam bonorum retineat; proprietariis vero reliquam restituat, quod factum; Contingit autem paucis lapsis annis, ut hic maritus diem suum obeat, conjuge vidua liberisque ex ea gnatis relictis? Quæsitum de bonis hisce, an ad illata referri debeant, cum negari non poterat, eadem a defuncto marito ad conjugem in matrimonium fuisse illata, consequenter hæredibus defuncti mariti præcipua deberi videantur, an vero ad acquisita; cum certum sit, bona hæc non amplius esse usufructuaria, sed propria, nec improbabiliter tanquam fructus percepti, ex bonis illis, de quibus transactum, considerari possint. Cum hæc quæstio aliquando JCtis ad decidendum proposita fuisset, in tres diversas ivere sententias. Alii bona illata esse dicebant; alii negabant, & contra pro acquisitis habebant. Nonnulli mediam quasi viam eligentes per distinctionem respondebant: Affirmantium argumenta nitebantur verbis statuti, seu potius pacti conventi, per quæ ea bona, quæ quis in matrimonium intulit, aut in specie, aut in æstimatione restituenda dicuntur, certum autem esse, Cajum usumfructum in posterius matrimonium intulisse; eundem pro certis rebus alienasse; quæ in locum ususfructus surrogatæ merito sint restituendæ, tanquam illatæ; Verba enim statuti stricte esse explicanda. Negantes his argumentis utebantur: (1) Quæcunque bona ad heredes non sunt transitoria, illa juxta statutum Argentinense non sunt hæredibus tanquam præcipua restituenda &c. Atqui ususfructus post mortem usufru-

ctuarii non est ad heredes transitorius. Ergo usufructus secundum statuta Argentinensium aut pacta contrahentium, post mortem usufructuarii nec in specie nec in æstimatione hæredibus est restituendus. (2) Emolumenta usufructus percepti sunt acquæstus inter conjuges divisibiles. Atqui res illæ usufructuariæ loco usufructus cessæ, sunt emolumenta occasione usufructus percepti. Ergo sunt acquæstus, inter conjuges divisibiles. (3) Dicebant, nisi emolumenta ista bonis acquisitis accenserentur, grave præjudicium futurum alteri conjugi respectu portionis statutariæ. Nam v. gr. si maritus in conjugium attulit usumfructum 12000. flor. annuatim ex hoc percipiendi sunt 600. floreni, in his participat uxor, ceu bonis acquisitis, pro rata statutaria trientem, nempe 200. fl. atque sic per decennium continuato usufructu lucraretur 2000. fl. si vero de usufructu maritus transigeret ad dimidium, vix intra decennium lucraretur 1000. fl. Ut itaque inæqualitas illa tollatur, sex millia pro cessione usufructus accepta pro acquisitis habenda esse; ex quibus uxor tertiam partem adeoque duo millia consequatur, quæ etiam ex fructibus non cessis consequuta fuisset. Neutri sententiæ adhærentes arbitrabantur, distinguendum esse, utrum ipse usufructuarius adhuc superstes sit, & mortua conjuge usumfructum a se in conjugium illatum vindicet? an vero ipso marito usufructuario mortuo, uxor superstes, & defuncti hæredes, usufructus nomine sibi quid præcipuum adjudicari intendant; casus enim hos, utpote diversos, una juris decisione componi non posse; Cum quilibet animadvertat, quod sicuti priore casu usufructus, si inalteratus (ut DD. loqui amant) mansisset, omnino cum reliquis illatis marito restituendus esset; ita

quoque

quoque usufructu alterato secundum pactum ejus æstimationem præstandam. Contra posteriori casu, ubi quidem ususfructus morte usufructuarii in totum finitus esset, adeo ut ejusdem hæredes ratione illius, ne quidem in fructibus exstantibus maturis quidpiam juris habeant, ita quoque nomine ususfructus stante matrimonio alterati, defuncti hæredes, nec æstimationem, nec pretium pro eo acceptum sibi præcipuum intendere posse. Quod tanti viri indecisum reliquere, meum non erit decidere; sed potius cujusque judicio salvum relinquere, cui sententiæ subscribere velit. Pro acquisitis tamen Senatum Inclytæ nostræ Reipublicæ, quem vocant minorem, tanquam harum causarum judicem competentem, aliquando pronunciasse fertur.

XIX.

Donationes quoque conjugi factæ huc spectant, de quibus difficilior res est: alii quæstibus eas annumerant; removent alii; distincte ergo progrediemur; xenia sive dona nuptialia quod attinet, Hochzeitgeschenck, Haußsteur, dictæ, quæ scilicet a cognatis, aliisve ad nuptiarum festivitatem invitatis, benevolentiæ contestandæ gratia sponso sponsæque offeruntur, diversa est DD. sententia, an ea mariti vel uxoris lucro cedant, aut æqualiter inter eos dividenda sint. Alii igitur distincte illa, si sponso dentur, soli sponso cedere, sin sponsæ tribuantur, ad eam pertinere statuunt, *vid. Thesaur. Decis. Pedemont. 195. n. 1.* Sed si communiter novis nuptis offerantur, dimidiam partem cuique deberi volunt. Quidam vero inter donantes faciunt distinctionem, & ab amicis aut sponsi consanguineis oblata, ipsi sponso, sponsæ autem quæ ab ejus cognatis ei donata sunt, appropriari exinde concludunt, quod cognati uxoris ex singulari affectione, magis uxori quam

sponso

sponso hæc munera offerre voluerint, & vice versa, de quibus vid. Berlich. *Practic. Conclus. part. 3. cap. 32.* Daniel Moller. *ad Constit. Saxon. part. 3. const. 23.* Nonnulli tandem inter novos conjuges ea dividenda esse arbitrantur, cui opinioni tanquam æquissimæ, & verissimæ, nos nostrum quoque addimus calculum; idque ob sequentem rationem, quod hæc videatur convivarum voluntas ac intentio; nam dubio procul utrique tam sponso quam sponsæ donata cupiunt, licet more regionis vel articulo temporis, alteri conjugum offerantur; inque hanc sententiam pronunciarunt JCti Helmstadienses, quos testes adfert Hahn. *ad Wes. tit. de iur. dot. in fin.* quam etiam sequuntur Carpz. *Jurispr. forens. part. 3. Constit. 22. def. 1.* Mevius *ad ius Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12.* Statuta Inclytæ nostræ reipublicæ, uxori ut ex omni acquæstu ita ex his donis tertiam saltem attribuunt partem, nisi pactis dotalibus aliter conventum. *Falliments Const. de Anno 1650. Class. 2.* §. 20. cujus hæc sunt verba: Was neuangehenden Eheleuten auff die Hochzeit geschenckt wird, das stehet zu des Weibs dritten, oder so fern es dergestalt abgeredt, zum halben Theil mit dem Heurath-Gut in gleichem Vorzugsrechten. Cum sæpe accidat, ut de his donis non constet, nisi de his, ut volunt statuta Reipublicæ, inventarium confectum fuerit, ex hoc inventario quantitatem horum donorum probari, nemo ambigit, Carpz. *in Jurispr. Forens. Const. 22. def. 9. n. 3.* Berlich. *part. 3. conclus. 23. n. 18.* ubi hanc decisionem ad quamlibet schedulam privatam scriptam, aut a marito subscriptam extendit, atque ita judicio contradictorio judicatum fuisse refert Finckelthaus. *pract. Obs. 65. n.* 24. Mevius *lib. 2. ad ius Lubec. tit. 2. art. 12. n. 195.* deficiente scriptura, juramento quantitatem iudicanti creditur, *Mevius alleg. loc. n. 196.*

XX. Do-

XX.

Donationes, quæ inter conjuges durante matrimonio celebrantur, quamvis jure civili Justinianeo prohibitæ, *tot. tit. ff. & C. de Donat. inter vir. & uxor.* tum ne donationibus non temperantes, profusa erga se facilitate, mutuo se amore spolient, *l. 1. ff. d. t.* tum ut famæ ac honori eorum consulatur, ne pretio magis quam officiis, amor inter eos conciliatus videatur, *l. 1. pr. ff. d. t.* tum ne discuti ac dissolvi matrimonia contingat, si non donet is, qui potest, *l. 2. ff. d. t.* quam donationis inter conjuges prohibitionem tota fere Europa inter LL. suas retulit, teste *Scipione Gentili*, qui de donationis hujus prohibitione ex professo scripsit *lib. 1. cap. 1. in fin. & cap. 5.* legata autem sibi relinquere *l. 109. de Legat. 1. l. 33. §. 2. de Legat. 3. l. 19. C. eod.* ut & hæredes instituere non erat prohibitum, *l. 5. C. de hered. Institut.* Jure nostro nullum ex his efficaciter fieri potest, *ut patet ex antiquo articulo sub rubr.* kein Ehegemächt soll dem anderen etwas zum Eigenthumb geben *in ordinat. de Contractibus p. 20.* quem integrum, quoniam brevis est, juxta antiquum idioma exhibere placuit. dehein unser Burger mag geben sinem Wibe noch dehein Wip unser Burgerin, mag geben irem ehelichen Manne, deheiner hande gut, daß die eigenschafft sin sy, nuwent zu eime Wideme, welches under jnen dem andern gebe sin gut zu eigen, die gifft sol nit gelten, in wellichen weg su geschen. De cujus sensu cum variaretur, nonnullis de donatione inter vivos (ut verba suadere videntur) præcise intelligentibus, aliis etiam ad hæredis institutionem extendentibus; ab ipso Magistratu tandem ita declaratus est hic articulus, ut per eum non tantum donare sibi invicem conjuges constante matrimonio non possint; sed etiam testamento hæredes se invicem instituere, aut legata proprietatis, (de usufructu

enim relicto secus est,) relinquere nequeant, sine speciali venia impetrata.

XXI.

Attamen cum non ita arcte Jur. Civ. legis hujus interpretatio capienda sit, quasi suas non patiatur exceptiones, ut docet *C. I. A. lib. 24. tit. 1. th. 6.* ubi multas recenset, quarum præcipuæ sunt, in donationibus reciprocis aut remuneratoriis, *l. ult. ff. de Donat. inter vir. & uxor.* si conjux donans non fiat pauperior, *l. 3. §. ult. l. 4. l. 5. §. 8. l. 25. ff. dict. tit.* si donans in vita sua donationem non revocaverit, *l. 22. l. 32. pr. ff. h. t. l. 12. & 14. C. eod.* Ita consuetudine in inclyta nostra republica has enarratas ac similes alias, ut puta, was zum Christkindel, Meßkram, und auf den Geburtstag gegeben wird, admitti, quotidiana praxis testatur. Sæpissime etiam pactis antenuptialibus reservata est licentia, sibi invicem stante matrimonio donandi, quod nec jus civile improbat, pactis namque privatorum juri scripto derogari potest.

XXII.

In reliquis donis ab extraneo durante matrimonio obvenientibus, distinguendum arbitror inter dona simplicia & remuneratoria, & simplicia illatis annumeranda esse evidens est ex *l. 7. 8. & 9. ff. pro socio.* Et *jus Provinc. Wirtemb.* quod statutis Argentinensibus in multis non absimile, simplicia dona inter illata referre non dubitat, *part. 3. tit. 7. §.* Wann dann. *part. 4. tit. 4. §.* alsso auch. nam dona simplicia non ex quæstu quodam, sed ex mera liberalitate donantis proficiscuntur. Lopez *de lucr. marit. & uxor. cap. 9. n. 65.* Besold. *ad jus Provinc. Wirtemb. part. 4. th. 18.* Frantz. *ad tit. ff. pro Socio n. 22.* Boër. *ad Consuetud. Bituricens. de Consuet. matrim. §. 2.* Gothofr. *ad l. 8. ff. pro Socio num. m. 49.* Hinc si legatus peregre ad Principem

pem missus, torque aureo vel simili honorario a Principe donatus fuerit, illatum hoc erit, & sibi præcipuum habebit Suarez *de lucr. marit. & uxor. tit. 1. n. 34.* Sed quid si convictores discessuri, hospitæ quid donaverint? id pro illatis non habendum; offertur enim id respectu operarum œconomicarum, quas uxor in rei familiaris administratione præstat, adeoque profluit ex industria personæ, & per consequens communicandum. Quæ hactenus diximus, de donatione simplici locum non habebunt, si loci alicujus statutis aut consuetudine aliud constitutum reperiatur, quod moribus Aurelianensium fieri, testatur Pyrrhus *ad Consuetud. Aurelian. tit. de Societ. inter vir. & uxor. cap. 11.* ibi enim res conjugibus donatæ indistincte quæstibus annumerantur, quod & mores Frisiæ probant, Johan. a Sande, *Decis. Fris. lib. 2. lit. 5. def. 3.* modo donans non expresse prohibuerit, ne alter conjugum de re donata participet, Chassanæus, *ad Consuet. Burg. rubr. 4. §. 2. in verbis est participante. n. 2.*

XXIII.

Bona remuneratoria quod attinet, quæ scilicet ob bene merita obveniunt, Wann einem wegen geleisteter Dienste etwas verehret worden; pro illatis ea haberi nequeunt; vera namque donationis appellatione non veniunt *l. 9. pr. l. 18. §. 1. §. 5. l. 39. de Donat.* nec sub regulis donationis continentur, Garf. *de Acquæst. conj. n. 123. & seqq.* Suarez *de lucr. marit. & uxor. tit. 1. n. 34.* Sanz Morquech. *de bon. divis. lib. 2. cap. 11. n. 3.* Besold. *ad jus Provinc. Wirtemb. part. 3. th. 57.* Cum notum sit, hanc donationem demum communionem non admittere, quæ nullo jure cogente, nulla interveniente opera, ex sola donantis liberalitate simpliciter in aliquem confertur, *l. 9. ff. pro Socio;* quæ vero ejusmodi præcedentia habet merita, in

quibus præcipua aliqua apparet opera, ut potius & verius dici possit compensatio, quam donatio, & sic tota pertineat ad titulum & causam onerosam, illa omnino inter conjuges communis fit, nisi merita multum superaverit. Tunc enim superfluum hujus donationis remuneratoriæ, inter bona illata referendum esse tradit Besold. *ad jus Provinc. Wirtemb. part. 3. tb. 57. in fin.* Sanz Morquech. *de bonor. divis. lib. 2. cap. 11. n. 43.* At cum merita non facile æstimationem subeant, ad judicis arbitrium recurrendum esse monent, Sanz Morquech. *lib. 2. cap. 11. n. 44.* Goëddæus *Vol. 4. Consil. Marpurg. Cons. 27. n. 116. & 119. in verbis: si excedit merita, judicamus eam in excessu esse donationem simplicem ex mera liberalitate.*

XXIV.

Hactenus de bonis illatis, & quæ hisce annumerari solent, strictim egimus. Sequitur nunc, ut etiam de bonis stante matrimonio acquisitis, (von gewonnenem und errungenem Gut) hoc est, lucro omni, quod conjugibus ex industria ipsorum, benedictioneve divina obvenit, nonnulla subjungamus; de hoc enim acquæstu, nisi statuta specialiter aliud disponant, pactis enim nuptialibus illius mentionem facere neonymphi solent, ut ex pactorum dotalium procemiis patet, ubi communiter hæc formula legitur: deß was sie durch ihrer beyder Arbeit, Fleiß und Geschicklichkeit, auch milden Segen Gottes erringen und erübrigen werden, ihnen gemein und theilbar Gut seyn soll, & huic similes aliæ.

XXV.

Acriter statim ab initio inter se interpretes disputant; *An acquisita constante matrimonio, utrique conjugum de jure Civ. sint communia, adeoque inter eos dividenda?* Solius mariti lucro ea cedere, etiam eo casu, quo uxoris labore

labore provenerunt, defendit Carpz. *in Jurispr. Forens. part. 3. Const. 25. def. 8. per tot.* Mevius *ad Jus Lubec. lib. 2. art. 12. tit. 2. n. 94. & n. 132.* quippe quod maritus solus onera matrimonii supportet, nec non tanquam caput & princeps familiæ, præcipuam operam pro re domestica impendat; ergo merito illa prærogativa circa acquisita fruatur. Mevius *d. loc. n. 102.* nihilque æquitati magis sit consentaneum, quam ut maritus, qui onera matrimonii solus sustinet, etiam commoda, uxore exclusa, lucretur, *l. 10. ff. de Reg. Jur.* Heeser *in Loc. Commun. pract. part. 2. loco 7. n. 5.* Nonnulli acquisitorum inter conjuges communionem jure canonico introductam dicunt, per *cap. 2. extr. de Donat. inter vir. & uxor.* quæ opinio a Covarruv. *de Matrim. part. 2. cap.* 7. §. *1. n. 5.* reprehenditur & a Garsia *de Acquæst. conjug. n. 31.* qui simul ad *d. cap. 2.* ac alia, quæ pro stabilienda ista sententia afferuntur, satis abundeque respondent. Alii simpliciter statuunt, acquisita cum uxore dividenda esse, Frider. Solis *de bon. const. matrim. acquisit. quæst. 8.* Garf. *de Acquæst. conj. n. 30.* qui tamen statim *n. 31.* in dissentientium abit sententiam. Prima opinio, uti veritati magis consentanea, ita maxime sequenda, ac juxta eam concludendum est, uxorem de jure civili in bonis constante matrimonio acquisitis partem non habere: sed uti nulla est regula sine exceptione; ita multas monstrat ab hac regula exceptiones Heeser *in Locis Commun. pract. part. 2. loc. 7. n. 16. multisque seqq.*

XXVI.

Hæc quidem ita de jure civili obtinent, ni statuta aut consuetudines locorum, ubi commorantur conjuges, aliter circa hæc disponant; aut his deficientibus certo modo conjuges inter se pacti sint: etenim pacisci non

tantum possunt, ut nulla sit inter eos communio, sed sua quisque illata præcipua habeat; verum & e contra, ut aut illata a singulis, aut acquisita ipsis sint communia, atque hujuscemodi conventionibus omnino standum est; pactum enim sive hominis dispositio in hisce plus operatur, quam statutum, *l. fin. §. fin. C. de temp. appellat.* & in specie pacta dotalia, quatenus bonis moribus non adversantur, nullatenus in fraudem alterius infringenda & immutanda sunt, *l. 1. C. de pact. convent.* In Illustri hac Republica patria constitutum, ut acquæstuum maritus duas tertias, uxor unam tantum lucrentur & acquirant.

XXVII.

Cum autem in genere *bona* dicantur, quæ deducto ære alieno supersunt, *l. 39. §. 1. ff. de Verb. sign.* nec lucrum censeatur, nisi deductis prius expensis, *l. 27. ff. pro Socio l. fin. §. 4. C. de bonis quæ liberis Fallim. Const. de Anno 1650. Class. 2. §. 32.* Igitur si per statutum acquisita inter conjuges horumque hæredes veniunt dividenda, primo detrahitur capitale quod vocatur, id est, omne illatum, & quidem primo uxoris; nam cum marito incumbat, sustinere onera matrimonii, mulier ante omnia in divisione debet habere capitale suum salvum, atque hoc deducto, maritus ejusve hæres ex massa patrimonii suum etiam deducit capitale, omniaque bona, quæ ab ipso sive sua ex parte in matrimonium fuere illata. Ex illis quæ supersunt denique æs alienum hoc matrimonio contractum solvitur, Sanz Morquech. *de Divis. bon. lib. 2. art. 12. n. 1.* Suarez *de lucro marit. & uxor. n. 61.* Et ita judicatum, refert Christin. *Vol. 2. Decis. 58. n: 1. & 2.* sive a marito, sive ab uxore in communem usum contractum sit, dicit Morquech. *de bon. divis. lib. 2. artic. 12. n. 12.* Idem putat, si debi-

si debitum per maritum & uxorem simul fuerit contractum, & se in solidum obligaverint, uxorem quoque in solidum conveniri posse, assentitur Lopez *de lucr. marit. & uxor. n. 66.* atque ita Senatum Parisiensem judicasse refert *Christin. Vol. 3. Decis. 52. n. 6.* Hisce omnibus deductis ac solutis, reliquum quod superest, acquæstus dicitur conjugalis, atque inter virum & uxorem secundum cujusque loci consuetudinem, vel secundum pacta dotalia pro rata dividitur. Suarez *de lucro marit. & uxor. rubr. de las ganancias n. 61.* Garf. *de acquæst. conj. n. 62, item n. 178.* Molina *de Just. & Jur. Disp. 433. n. 10.*

XXVIII.

Nec tantum in hisce, quæ pari labore & industria uxor cũ marito constante matrimonio lucrata est; ut puta mercatura, (solent enim sæpissime una cum maritis mercaturam exercere, cumque hoc fit, varia singularia disposita sunt, tam circa lucra quam damna, de quibus videri possunt Dn. D. Rebhan *in disput. singulari de uxore mercatrice habita Argent. Anno 1639.* item Heëser *in Loc. Commun. pract. part. 2. loco 23. n. 260. & seqq.*) Sed & in illis, quæ operæ & studio solius mariti provenerunt, *l. 7. & 8. ff. pro Socio.* Chass. *ad Cons. Burgund. rubr. 4. §. 2. vers. & Acquæst. num. 1.* Sanz Morq. *de Divis. bon. part. 2. cap. 11. n. 15.* Garf. *de acquæst. conj. n. 72.* Et quo etiam sequitur, quod, si maritus negotiationis causa, vel ære alieno oppressus, relicta uxore & liberis alio migraverit, eoque in loco maximam lucratus sit quantitatem, sive revertatur, sive illic extra proprium domicilium moriatur, lucra illa cum uxore dividenda sint, quia matrimonium & maritalis affectio nihilominus inter eosdem mansit, nec cessavit, Heeser *in loc. Commun. pract. part. 2. loco 15. n. 83.* Sed licet autem Chassanæus *ad Consuet. Burg. rubr. 4. §. 6.* ad

hunc

hunc effectum, ut quæstus sint communes, cohabitationem requirat, & pro hac sententia in judicio Prætorii Parisiensi judicatum dicat, elegansque hic pro Chassanæi stabilienda sententia referamus præjudicium, de literato quodam, Casus talis erat. Marito cuidam offerebatur præfectura certi alicujus Principis, sub conditione tamen consueta, ut sub summa 2000. florenorum cameræ Principis caveret. Maritus uxorem requirebat, ut pro dicta summa secum se obligaret, sed cum illa recusaret, simulque non tantum apud maritum, verum etiam ipsum Principem protestaretur, se, si suscepturus esset hanc præfecturam, nec de lucro nec de damno participem esse velle. Maritus nihilominus & præfecturam & cautionem, nominatis aliis fidejussoribus, in se suoque periculo suscepit. Qua per plures annos defuncta, cum interea temporis ultra 4000. fl. lucratus esset, mortuus. Quærebatur? utrum uxor de lucro tempore hoc facto statutariam portionem petere posset: Negatum fuit hoc casu, publice enim coram Principe lucro futuro renunciaverat, tamen non obstante hoc præjudicio, vel Chassanæi autoritate placet prior sententia, quam confirmat Garf. *de Acquæst. Conj. n.58.* Hinc & quæ suo ex artificio lucratur maritus, quæve salaria intuitu muneris publici, quo fungitur, accipit, communia sunt, sicuti & ea, quæ mulier suo labore e.g. nendo, lavando, coquendo similive industria, sua opera percepit, acquæstui accensenda erunt, Sanz Morq. *de Divis. bon. lib. 2. cap. 11. n. 15.* certe præter, ne dicam contra, jus civile, quod mulieri, quæ ex sua arte lucratur, præcipua reservat, libera enim est persona mulier, quæ sibi ipsi quærere potest, ac marito tantum ad obsequiales non artificiales operas præstandas est obligata Menoch. *lib. 3. de Præsumpt. 51. n. 4.* Garf. *de Acquæst. Conj. num. 72.*

XXIX.

XXIX.

Quæ vero alter conjugum illicito modo malisve artibus moribusve sibi comparavit, non ad acquæstum referuntur; ideoque res furto subtractæ quodve repetundarum nomine congestum est, nihil ad hanc conjugalem societatem pertinet, *l.* 4. §. 2. *ff. Famil. erciscund. l.* 35. §. 2. *de Contrah. Empt. l.* 53. *ff. pro Socio.* Garf. *de Acquæst. conj. n.* 71. Morq. *de Division. bon. lib.* 2. *cap.* 6. nisi lucra etiam illicite quæsita semel conferantur, aut alteruter conjugum eadem illicite quæsita esse ignoraverit, quibus casibus inter conjuges omnino, & valide dividi possunt, Heeser *in Locis Commun. Pract. part.* 2. *loco* 18. *n.* 108. De acquisitis per lusus prohibitos idem dicendum. Prohibitus autem est aleæ lusus *tot. tit. ff. de Aleatoribus, l. fin. C. de Aleat.* ita ut victo detur condictio & repetitio amissæ pecuniæ *l.* 1. *C. de Aleat.* Colerus *Decis.* 173. *n.* 4. Sichard. *in rubr. Cod. de Religios. n.* 8. *in fin.* nisi is qui repetere vult, alterum ad colludendum pellexerit, urseritve: Carpz. *lib.* 6. *Resp.* 96. *n.* 14. Multo minus igitur victor, si habita fide (auff borg) luserit, pecuniam petere potest, Farinacius *de variis & divers. criminal. quæst.* 109. *n.* 176. ac talem petitionem pro illegitima judicatam fuisse refert Heigius *part.* 2. *quæst.* 10. *n.* 43. eodem modo responsum fuisse a Lipsiensibus, testatur Colerus *Decision.* 173. *n.* 102. *& seqq.* Potest etiam maritus repetere a vincente pecuniam ab ejus uxore in ludo amissam, Farinac. *in Crimin. quæst.* 109. *n.* 178. Tiraquell. *de LL. Connubial. gloss.* 5. *num.* 200.

XXX.

Referuntur præterea ad bona acquisita, pensiones ex locatione rerum propriarum, vel communium perceptæ, Sanz Morq. *de Divis. bon. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 17. item reditus & fructus provenientes ex bonis patrimoniali-

 bus,

bus, cujuscunque generis & qualitatis, & dotalibus, nullo discrimine habito, bona majoratus sint, sive fideicommisso subjecta, vel usufructuaria sive alia; sive alteruter ex conjugibus sit dives vel pauper, Suarez *de lucro marit. & uxor. n. 61.* Franciscus Balthasar. *ad jus Bavariæ part. 1. tit. 1. resol. 1. n. 78.* Item reditus ex emphyteusi, & emphyteusis ipsa, modo durante matrimonio sit constituta; nisi sit ecclesiastica, aut in concessione ejus aliter fuerit conventum & expressum. Marius Giurba, *ad Consuet. Messan. cap. 1. gloss. 2. part. 1. n. 19.*

XXXI.

Res communi conjugum pecunia empta communis est, per *lib. 2. C. de Donat. inter vir. & uxor.* Morq. *de Divis. bonor. lib. 2. cap. 11. num. 4.* nisi alteruter nomine proprio, vel sibi reservaturus emerit, tunc enim ob additam protestationem, non fit communis Menoch. *Consil. 213. num. 26.* Res itidem ex pecunia alterius, tempore initi matrimonii illata, comparata, communis est, *arg. l. 7. ff. pro Socio.* & quamvis hæc pecunia ad illata pertineat bona, quorum proprietas in hac matrimoniali societate non communicatur; attamen ea, quæ ex illis parantur, quæsitis annumerari debent, tanquam lucrum ex conjugum negotiatione profluens, *d. l. 7. ff. pro Socio.* Besold. *ad jus Provinc. Wirtemberg. part. 4. th. 24.* Lopez *de lucro marit. & uxor. cap. 6. n. 5.* Molin. *de Just. & Jur. Disp. 433. n. 9.* Sed si ex. gr. domus quædam durante matrimonio a marito empta, pretiumque partim ex ipsis bonis illatis, partim ex jam existente acquæstu fuerit solutum? Quæritur, utrum domus hæc pro illata an acquisita sit habenda? pro illatis habendas esse ædes illas eatenus, quatenus ex illata pecunia sunt empta & solutum pretium, reliquum autem pretii accensendum esse acquæstui, atque

sic

ſic hic Argentinæ ab Illuſtri Senatu Majori Anno 1661. pronuntiatum eſt, in cauſa Johann Pflegers Wittib contra deſſen Kinder.

XXXII.

Si maritus conſtante matrimonio ædificium exſtruxerit in ſolo uxoris, hoc quidem ædificium in diviſione uxori, ceu ſoli fundive dominæ, cedit, ſolvendæ tamen ſunt expenſæ, & ex his marito ejusve hæredibus pars ſtatutaria, *l. 7. §. 12. ff. de Acquir. rer. dom.* Garſ. *de Expenſ. & meliorat. cap. 13. n. 41.* Atque ita Senatum Mechlinenſem judicaſſe teſtatur Chriſtinæus *Vol. 1. Deciſ. 209. n. 8. & 9.* Idem etiam judicium faciendum circa meliorationes factas, in rebus ab alterutro conjugum in matrimonium illatis. Meliorationes enim factæ in re mariti conſtante matrimonio, etiamſi cedant marito, earum tamen æſtimatio uxori communis erit, & vice verſa, nec enim alter cum alterius jactura locupletari debet, Garſ. *de Acquæſt. conj. n. 73.* Modo hic notetur, repetitionem expenſarum non concedi ad quantitatem pecuniæ in exſtructione nova, vel reparatione rerum expoſitæ; ſed quantum noviter ædificatum aut reſtauratum tempore reſtitutionis valebit. Ex. gr. Expendi 500. florenos ad domum ab uxore illatam reficiendam; interim per 20. annos in ea cum tota familia habitamus, & domus uſu corrumpitur & vilior redditur, ita ut tempore reſtitutionis & domus & per conſequens melioratio minoris pretii ſit, quæritur, an 500. floreni ſint reſtituendi? Reſp. quod non, ſed quanti reſtauratio facta, tunc temporis æſtimatur, ex. gr. æſtimatur 200. floren. ergo ſaltem 200. flor. erunt reſtituendi, *l. 58. de Leg. 1.* Berlichius *Deciſ. 251. n. 5. & 6.* ac ita judicatum eſſe legi apud Chriſtinæum *Vol. 1. Deciſ. 209. n. 9.* & probat Heeſer *in locis Commun. pract. part. 2. Loco 15.* Aliquam tamen circa hæc in In-

clyta hac Republica differentiam animadverto, maxime in casu hoc, ubi domus per senectutis vitium collapsa, vel casu combusta, fuerit ædificata; nam tum domus ista inter acquæstus numeratur, sola excepta area.

XXXIII.

Res permutata cum alterius ex conjugibus re patrimoniali, communiter quæstus nomine non est censenda, sed per subrogationem ingreditur & habet naturam rei permutatæ, *l.36. de Donat. inter vir. & uxor.* Argentræus *ad Consuet. Britan. artic. 418. Gloss. 1. n. 1.* Sanz Morquech. *de Divis. bon. lib. 1. cap. 11. n. 7.* Aliter hic Argentinæ observatur. Re enim illata vendita, pretium ejus rei commune est, resque est permutatione comparata pro quæstu habetur arg. statutorum Reipublicæ *Art.* Was die Fraw nach des Manns Todt zum voraus nehmen soll. *Const.* von Fallimenten. *Class. 3. Rubr.* von stillschweigenden Unterpfanden, in quibus locis illa res pro illata habetur, quæ de conjugum capitali in specie adhuc adest, reliqua omnia acquisitis annumerantur. Quod & duo præjudicia in talibus casibus pro nostra sententia lata firmant, Primum in Sachen Geppen contra Brombach, hic Argentinæ in Senatu Majori die 6. Maji Anni 1637. pronunciatum, ac in Camera Spirensi An. 1654. in hunc modum confirmatum. Was zur Zeit begebenen Todfalls von den zugebrachten Gütern noch in specie vorhanden gewesen, solle zu den unveränderten, der Kauffschilling aber von dem Affenthaler Rebhoff, wie auch was sonsten währender Ehe verändert, veräusert, und abgelöst worden, unter das theilbare gesetzt werden. Præjudicium alterum est in causa D. Johann Marbachs Wittib, und Kinder Vögte, hujus tenoris. Sollen iedwedem Ehegemachte seine annoch würcklich vorhandene unveränderte Güter, in solcher Qualität zugeschrieben; übriges

alles

alles aber vor theilbar, davon den Erben zwo, der Wittib aber ein terß eigenthümblich gebühret, publicatum den 27. Julii 1663. quod in secunda instantia die 17. Septembr. ejusdem anni ita declaratum. Ist die fernere Erkäntniß, daß der von in währender Ehe alienirter Behausung, eingetauschter Hanff und 75. fl. noch darauf stehenden Kauffschillings rest, unter die theilbare Nahrung gerechnet werden soll. Itidem res illata semel vendita aut permutata, licet postea emptione aut permutatione, iterum ad pristinum dominum revertatur, qualitatem tamen rei illatæ non recuperat, sed acquisitis in nostra Inclyta Republica accensetur.

XXXIV.

Negotiatio emendi vendendi in matrimonium illata est, puta pharmacopolium, æstimatum ad 6000. florenos; ita ut in 6000. florenis, pharmacopolium quasi fundatum sit, & illatione bonorum magis hæc summa, quam ipsum pharmacopolium, & in eo existentes merces considerentur; mortua igitur ex. gr. uxore, si ejus hæredes partem tertiam istius summæ petant, fundantes se in verbis statuti, quod omnes res, quæ non amplius in specie adsunt, divisibiles pronuntiat, maritus merito denegat hæredibus uxoris tertiam ex dicta summa rem inalteratam ajens, nec ex uxoris demortuæ bonis ad pharmacopolii summam aliquid adjectum, ergo nihil deberi, *arg. l. 67. §. 16. de Leg. 2.* ubi mensa nummularia censetur unum quoddam universale. Igitur idem de officina mercatili dicendum, saltem cum maneat semper intra fines ejusdem summæ, addatur & *l. 19. §. 1. vers. An vero separamus ff. de Pecul.* Uti olim pro marito mercatore Argentinensi, Molinæus consultus respondit; ut videre licet *Consil. ejusdem 13.* Quod si negotiatio non in certa summa consistat, sed singulæ res æstimatæ datæ

 fuerint,

fuerint, hæ autem interim venditæ, & aliæ in locum harum substitutæ, acquæstui annumerandæ erunt. Molinæus *alleg. loco in fin.* item Inventirschreiber-Ordnung *de Anno 1636.* §. *ult.*

XXXV.

At ædibus a marito durante matrimonio sub fide emptis, postmodum mortua uxore, & marito ad secunda vota transeunte, si is in hoc secundo matrimonio demum solvit pretium ædium; quæritur, an ædes hæ ad primi, an secundi matrimonii acquæstus pertineant? ad primi matrimonii acquæstus spectare verius videtur. In primo namque matrimonio perfecta fuit emptio; quod autem ex tali emptione venit, acquæstus est. Ergo & primi matrimonii acquæstus erit; quam sententiam firmat præjudicium, a supremo Frisiæ Senatu pro hac sententia prolatum, ut testis est Sandeus *in Decis. Frisic. Decis. 3.* ulterius adhuc hic Argentinæ proceditur, emptione enim semel perfecta, licet utriusque contrahentium consensu revocetur, re licet quidem nondum tradita propter nondum numeratum pretium, vel aliam ob causam, attamen res talis pro alterata habetur, ac inter acquæstus referri solet.

XXXVI.

Sed licet durante matrimonio conjuges sæpissime quæstum fecerint, maritus autem iterum dissipet, quæritur, an decoctori illa dissipatio vel prodigalitas imputanda respectu illatorum, an vero communi massæ? & per consequens, an a marito impune acquisita dissipari possint? Quod dicendum, ut adeo uxor durante matrimonio in hunc effectum nihil acquirat tanquam præcipuum; Chassanæus *ad Consf. Burg. rubr. 4. §. 2. in textu, est participante;* sed id saltem, ut societatis judicio, reliqua acquæstuum petat, Frider. Solis. *de bon. const. matr. acquisitis quæst. 21.* Didac. a Segura. qui dicit, uxorem in acquisitis, durante matrimonio, nullum jus, nullam potestatem,

neque

neque administrationem, neque dominium, neque possessionem habere; nec posse ad illorum divisionem provocare, aut adversus maritum actionem instituere, & ita judicasse Senatum Dolanum refert *Grivellus Decis. 61. n. 9. Decis. 114. n. 5.* Ex his infertur, maritum solum alienandi acquisita habere licentiam, Garf. *de Expens. & Meliorat. cap. 13. num. 12. & 13.* quin & sequitur; uxorem non posse fundum constante matrimonio acquisitum, & eodem matrimonio durante a marito venditum retrahere, tanquam habens communionem in eo. Chassan. *ad Consf. Burgund, rubr. 4. §. 2. in textu est participante n. 6. in fin.* Heeser *in Loc. Commun. Pract. part. 2. loc. 15. n. 165.*

XXXVII.

Quid si alter conjugum ante matrimonium lege redimendi intra certum tempus, prædium vendiderit, constanteque matrimonio redemerit, an communicandum uxori? Negatur, quia hoc prædium de novo non acquiritur, sed ex veteri causa in pristinum venditoris dominium redit, Argentræus *ad Consuet. Britannæ art. 418. gl. 1. n. 10.* Tiraquell. *de retract. convent. ad finem. num. 162.* Fac rursus, maritum ante contractum matrimonium emisse fundum hac lege, ut liceat venditori redimere restituto pretio; postea constante matrimonio eam facultatem redimendi emisse a venditore creto pretio, An fundus hic in communionem veniet? Ita existimavit Chassanæus *ad Consuet. Burgund. tit. de droicts apartenans a gens mariets. §. 2. in fin.* sed recte discedit Tiraquellus *retract. convent. n. 163.* quem sequitur a Sande *in Decis. Frisic. lib. 1. tit. 5. def. 3.*

XXXVIII.

Cæterum antequam disputationi finem faciamus, lubet hic annectere antiquissimam illam inclytæ hujus Reipublicæ consuetudinem, qua conjux superstes quandam ex re domestica portionem, loco præcipui voor die Liebthat, ex acquæstu dividendo deducere potest; idque forsan in præstitæ fidei constantisque amoris præmium, vel ut exstet gratæ memoriæ monumentum. Itaque si maritus prædecedat, & acquisita constante matrimonio relinquat, quæ exæquent seu excedant centum & quinque pondo nummorum, seu quod idem est, ducentos & decem florenos, uxor tum aliquam ex his acquisitis portio-

portionem, quæcumque forte ex præsente supellectili ipsi placuerit, non majoris tamen valoris, quam secundum Stall-Tax, ut vocant, decem pondo & quinque asses, zehen Pfundt fünff Schilling, vel prout congruum fert pretium nach dem billichen Werth, quindecim pondo & 7. solidos, funffzehen Pfundt sieben Schilling, præcipui nomine deducere potest. E contrario si mulier præmoriatur, maritus eandem etiam partem, exceptis septem solidis, ex eadem re, ejusdemque valoris præcipiendi facultatem habet: ita tamen, ut si prædicta portio postea vendatur, ultra quinquaginta florenos, sæpe sit valitura.

Et hæc de bonis in matrimonium illatis & durante matrimonio acquisitis, non pro materiæ dignitate, sed pro ingenii angustia ac tenuitate proposuisse sufficiat: neque pigebit errorem, si de aliquo monitus fuero, corrigere, ac exemplo Sacratissimi Imperatoris nostri Justiniani *Nov. 22. in fin. præfat.* in melius emendare. DEO Ter. Optimo Maximo omnium actionum nostrarum principio & fini, cui pro concesso hactenus auxilio maximas grates agendæ erunt,

LAUS HONOR ET GLORIA!

COROLLARIA.

1. *Filius a patre exhæredari nequit ob id, quod uxorem sine consensu ejus duxerit.*

2. *Testamentum, secundum loci consuetudinem factum, ubicunque valet.*

3. *Testamentum inter liberos, etiam nullis testibus præsentibus a patre factum, omnino est servandum.*

4. *An veritas convitii excuset injuriantem? Dist.*

5. *Immunitatem habens a muneribus ordinariis & extraordinariis, casu insolito superveniente, jure collectatur.*

6. *Confessus se hominem occidisse sed ad sui defensionem, pœna homicidii condemnandus non est.*

7. *Propter enormitatem delicti licet jus regulare transgredi.*

8. *Vasallus successor non tenetur æs alienum a defuncto vasallo contractum, solvere.*



